FAMÆ ET MEMORIÆ
EXCELLENTISSMI DOMINI
DOMINI
LUDOVICI
DUCIS DU MONTI
OB MAGNAPRÆSTITA BENEFICIA TENUES HOSCE VERSICULOS INSCRIPSIT

SERVUS HUMILIMUS
JOH. NICOLAI
Civis & Typographus Thorunenſis.

Miramur gentes Italas, quod acumine mentis
Exuperant alias, ingenioque valent,
Illis imperium Superi ceſſere, potentes
Effecit virtus, conſiliumque ſenum.
Fræna momorderunt Gallique & Teutones olim,
Abjicere auſa fuit terra Pelasga jugum:
Euphrates quoties Iſterque obſiſtere niſus!
Frontem obfirmaſti tu quoque, Rhene, tuam.
Omnia perrupit virtus Romana, nihitque
Invictum triplici manſit aduſque ſolo.
Nunc etiam paſſim florent Saturnia regna,
Nec poterunt ſvetum perdere bella decus.
Nimirum antiquo deductæ ſtemmate gentes
Æternant, armis gloria parta manet.
Has inter Te MAGNE VIRUM, *clariſſima virtus*
Extulit, & Marti juncta Minerva vehit.
Hinc blande gremio fovit Te FRANCIA VICTRIX,
Sarmaticumque olim juſſit adire polum.
Neſcit enim virtus ſortis ſecura latere,
Eſt quia divitiis ſola animoſa ſuis.
Caſibus hic variis Tua mens immota remanſit,
Nec poterant animum frangere fata tuum.
Non captum Gedanum, non magni abſentia Regis,
Non & Ruſſiadæ flectere Te poterant.
Atque ut Pyrgopolis, quid munificentia poſſit,
Noſceret, hanc placuit nuper adire Tibi.
Hic effuſa Tibi quam largo eſt Copia cornu,
Arca Tibi fuit & ſemper aperta manus!
Hoc Thorunenſis valide perſenſit egeſtas,
Illi quo propior cymba Charontis erat.
Ipſe etiam ſenſi vario diſcrimine preſſus,
Cui placuit facilem ſuppoſuiſſe manum.
Effari nequeo, nequeo laudare favorem
Pro meritis, major laudibus eſſe ſoles.
Quid ſupereſt nobis, niſi vota exolvere Magnis
Numinibus, quando jam meditaris iter?
Ergo Tibi genios comites, mitiſſime Princeps,
Adjungat, ſcuto protegat ipſe Tonans.
Deducat ſalvum Pariſina ad Culmina, REGIS
Magnus ubi expectat Te favor atque decus.
Et quia complacuit præditem effundere cenſum
In miſeros, hujus ſit memor ipſe Tonans.
Æternas Tibi cedat opes, quo ſpargere plura
Svetus eras, idem reddere plura velit.
Ito, MAGNE VIRUM, *fatis & ſidere fauſto:*
Nos erimus memores laudis aduſque Tuæ.

THORUNII A. MDCCXXXVI.

4560